PRIMA

Morum & Pietatis PRÆCEPTA,

VIZ.

I. *Dicta* ſeptem Sapientum è Græcis.
II. *Gulielmi Lilii* Monita pædagogica.
III. *Dion. Catonis* Diſticha moralia.
IV. *Joan. Sulpitii Verulani* de moribus & civilitate *Puerorum* Carmen.
V. *Rudimenta pietatis*, ſive, Oratio Dominica, Symbolum Apoſtolicum & Decalogus; *item* duorum Sacramentorum, *Baptiſmi & Sacræ Cœnæ Domini*, Inſtitutiones.

Quibus acceſſit

Summula CATECHISMI, ad piam Juniorum Educationem apprime utilis;

ITEM,

Præcipua Capita Chriſtianæ religionis, deſumpta è ſacra Scriptura Veteris ac Novi Teſtamenti.

Timor Domini initium ſapientiæ eſt, Prov. i. 7.
Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens & præſentis & futuræ vitæ, 1 Tim. iv. 8.

EDINBURGI,
Apud T. & W. RUDDIMANNOS, *Anno Dom.* 1749.

****

Dicta SAPIENTUM è Græcis *D. Eraſmo Roterod.* Interprete.

Aurea dicta, puer, quæ ſunt hîc, mente reconde;
Hinc poteris magnâ commoditate frui.

Dicta PERIANDRI CORINTHII.

OMNIBUS placeto.
Bona res quies.
Periculoſa temeritas.
Semper voluptates ſunt mortales:
Honores autem immortales.
Amicis adverſâ fortunâ utentibus idem eſto.
Lucrum turpe, res peſſima.
Quicquid promiſeris facito.
Infortunium tuum celato, ne voluptate afficias inimicos.
Veritati adhæreto.
Age quæ juſta ſunt.
Violentiam oderis.
Principibus cede.
Voluptati tempera.
A jurejurando abſtine.
Pietatem ſectare.
Laudato honeſta.
A vitiis abſtine.
Beneficium repende.
Supplicibus miſericors eſto.
Liberos inſtrue.
Sapientum utere conſuetudine.
Litem oderis.
Bonos in pretio habeto.
Arcanum cela.
Cede magnis.
Opportunitatem exſpectato.
Mortalia cogita.
Ne prior injuriam facias.
Audi quæ ad te pertinent.
Probrum fugito.
Reſponde in tempore.
Ea facito quorum te non poſſit pœnitere.
Ne cui invideas.
Oculis moderare.
Quod juſtum eſt imitare.
Bene meritos honora.
Spem fove.
Calumniam oderis.
Affabilis eſto.
Cùm errâris, muta conſilium.
Concordiam ſectare.
Diuturnam amicitiam cuſtodi.
Magiſtratus metue.
Omnibus teipſum præbe.
Ne loquaris ad gratiam.
Ne tempori credideris.
Teipſum ne negligas.
Seniorem reverere.
Mortem oppete pro patria.
Ne quavis de re doleas.
Ex ingenuis liberos crea.
Sperato tanquam mortalis.
Parcito tanquam immortalis.
Ne efferaris gloriâ.
Largire cum utilitate.

Amicis

Amicis utere.
Mortuum ne irrideto.
Dilige amicos.
Conſule inculpatè.

Dicta BIANTIS PRIENENSIS.

IN ſpeculo teipſum contemplare, & ſi formoſus apparebis, age quæ deceant formam: ſin deformis, quod in facie minus eſt, vel deeſt, id morum penſato pulchritudine.
Audito multa.
Loquere pauca.
De Numine ne malè loquaris.
Quid ſit autem auſculta.
Priùs autem intellige; & deinde ad opus accede.
Ne ob divitias laudâris virum indignum.
Perſuaſione cape, non vi.
Compara in adoleſcentia quidem modeſtiam, in ſenectute verò prudentiam.

Dicta PITTACI MITYLENÆI.

QUÆ facturus es, ea ne dixeris; fruſtratus enim rideberis.
Depoſitum redde.
Deſidioſus ne eſto.
A familiaribus in minutis rebus læſus, feras.
Amico ne maledixeris.
Inimicum ne putes amicum.
Uxori dominare [*Chriſtianè.*]
Quæ feceris parentibus, eadem à liberis exſpecta.
Inter amicos ne fueris judex.
Ne contende cum parentibus, etiamſi juſta dixeris.
Ne geras imperium, priuſquam parere didiceris.
Infortunatum ne irriſeris.
Audito libenter.
Ne lingua præcurrat mentem.
Ne feſtines loqui.
Noſce teipſum.
Legibus pare.
Voluptatem coërce.
Ne quid nimis.
Inimicitiam ſolve.
Ante omnia venerare Numen.
Parentes reverere.
Quæ fieri non poſſunt, cave concupiſcas.
Uxorem ducito ex æqualibus; ne, ſi ex ditioribus duxeris, dominos tibi pares, non affines.

Dicta CLEOBULI LINDII.

NE ſis unquam elatus.
Domûs curam age.
Libros evolve.
Juſtè judicato.
Bonis benefacito.
Liberos tibi cariſſimos erudi.
A maledicentia temperato.
Suſpicionem abjicito.
Parentes patientiâ vince.
Beneficii accepti memento.
Inferiorem ne rejicias.
Aliena ne concupiſcas.
Ne teipſum præcipites in diſcrimen.

Res amici diligas, ac perinde ſerves ut tuas.
Lapis auri index, aurum hominum.
Quod oderis, alteri ne feceris.
Voto nil pretioſius.
Ne cui miniteris; eſt enim muliebre.
Citiùs ad infortunatos amicos, quam ad fortunatos proficiſcere.
Mendax calumniâ vitam corrumpit.
Mendaces odit quiſque prudens & ſapiens.

Dicta CHILONIS LACEDÆMONII.

NOſce te ipſum.
Ne cui invideas mortalia.
Temperantiam exerce.
Turpia fuge.
Tempori parce.
Juſtè rem para.
Sapientiâ utere.
Multitudini place.
Oderis calumnias.
Ne quid ſuſpiceris.
Moribus probatis eſto.
Ne fueris oneroſus.

Dicta SOLONIS ATHENIENSIS.

DEum cole.
Parentes reverere.
Amicis ſuccurre.
Veritatem ſuſtineto.
Ne jurato.
Legibus pareto.
Cogita quod juſtum eſt.
Iracundiæ moderare.
Virtutem laudato.
Malos odio proſequitor.

Dicta THALETIS MILESII.

PRincipem honora.
Amicos probato.
Similis tui ſis.
Nemini promittito.
Quod adeſt boni conſulito.
A vitiis abſtineto.
Gloriam ſectare.
Vitæ curam age.
Pacem dilige.
Laudatus eſto apud omnes.
Suſurronem ex ædibus ejice.

GULIELMI LILII *Monita pædagogica; ſive Carmen de Moribus ad ſuos Diſcipulos.*

QUI mihi diſcipulus, Puer, es, cupis atque doceri,
Huc ades, hæc animo concipe dicta tuo.
Manè citus lectum fuge, mollem diſcute ſomnum:
Templa petas ſupplex, & venerare Deum.
Attamen in primis facies ſit lota manuſque;
Sint nitidæ veſtes, comptaque cæſaries.
Deſidiam fugiens, cum te ſchola noſtra vocârit,
Adſis; nulla pigræ ſit tibi cauſa moræ.

Me

Me Præceptorem cùm videris, ore ſaluta,
Et condiſcipulos ordine quoſque tuos.
Tu quoque fac ſedeas, ubi te ſediſſe jubemus:
Inque loco, niſi ſis juſſus abire, mane.
Ac magis ut quiſque eſt doctrinæ munere clarus,
Hoc magis is clarâ ſede locandus erit.
Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli,
Sint ſemper ſtudiis arma parata tuis.
Si quid dictabo, ſcribes; at ſingula rectè:
Nec macula, aut ſcriptis menda ſit ulla tuis.
Sed tua nec laceris dictata aut carmina chartis
Mandes, quæ libris inſeruiſſe decet.
Sæpe recognoſcas tibi lecta, animoque revolvas:
Si dubites, nunc hos conſule, nunc alios.
Qui dubitat, qui ſæpe rogat, mea dicta tenebit;
Is qui nil dubitat, nil capit inde boni.
Diſce, puer, quæſo; noli dediſcere quicquam:
Ne mens te inſimulet conſcia deſidiæ.
Siſque animo attentus: quid enim docuiſſe juvabit,
Si mea non firmo pectore verba premas?
Nil tam difficile eſt, quod non ſolertia vincat:
Invigila, & parta eſt gloria militiæ.
Nam veluti flores tellus, nec ſemina profert,
Ni ſit continuo victa labore manûs:
Sic puer, ingenium ſi non exercitet, ipſum
Tempus & amittit, ſpem ſimul ingenii.
Eſt etiam ſemper lex in ſermone tenenda,
Ne nos offendat improba garrulitas.
Incumbens ſtudio, ſubmiſsâ voce loqueris;
Nobis dum reddis, voce canorus eris.
Et quæcunque mihi reddes, diſcantur ad unguem;
Singula & abjecto verbula redde libro.
Nec verbum quiſquam dicturo ſuggerat ullum;
Quod puero exitium non mediocre parit.
Si quicquam rogito, ſic reſpondere ſtudebis,
Ut laudem dictis & mereare decus.
Non linguâ celeri nimis, aut laudabere tardâ;
Eſt virtus medium, quod tenuiſſe juvat.
Et quoties loqueris, memor eſto loquare Latinè;
Et veluti ſcopulos barbara verba fuge.
Præterea ſocios, quoties te cunque rogabunt,
Inſtrue; & ignaros ad mea vota trahe.

Qui docet indoctos, licet indoctiſſimus eſſet,
Ipſe brevi reliquis doctior eſſe queat.
Sed tu nec ſtolidos imitabere Grammaticaſtros,
Ingens Romani dedecus eloquii:
Quorum tam fatuus nemo, aut tam barbarus ore eſt,
Quem non auctorem barbara turba probet.
Grammaticas rectè ſi vis cognoſcere leges,
Diſcere ſi cupias cultiùs ore loqui:
Addiſcas veterum clariſſima ſcripta virorum,
Et quos auctores turba Latina docet.
Nunc te Virgilius, nunc ipſe Terentius optat,
Nunc ſimul amplecti te Ciceronis opus:
Quos qui non didicit, nil præter ſomnia vidit,
Certat & in tenebris vivere Cimmeriis.
Sunt quos delectat (ſtudio virtutis honeſtæ
Poſthabito) nugis tempora conterere:
Sunt quibus eſt cordi, manibus pedibuſve ſodales,
Aut alio quovis ſollicitare modo:
Eſt alius, qui ſe dum clarum ſanguine jactat,
Inſulſo reliquis improbat ore genus.
Te tam prava ſequi nolim veſtigia morum:
Ne tandem factis præmia digna feras.
Nil dabis aut vendes, nil permutabis emeſve,
Ex damno alterius commoda nulla feres.
Inſuper & nummos, irritamenta malorum,
Mitte aliis: puerum nil niſi pura decent.
Clamor, rixa, joci, mendacia, furta, cachinni,
Sint procul à vobis; Martis & arma procul.
Nil penitus dices, quod turpe, aut non ſit honeſtum;
Eſt vitæ ac pariter janua lingua necis.
Ingens crede nefas cuiquam maledicta referre,
Jurare aut magni nomina ſacra Dei.
Denique ſervabis res omnes, atque libellos,
Et tecum, quoties iſque rediſque, feres.
Effuge vel cauſas faciunt quæcunque nocentem,
In quibus & nobis diſplicuiſſe potes.

DIO-

DIONYSII CATONIS Disticha de Moribus, ad filium:

Recognita de novo ad Metaphrasin Jos. Scaligeri, *ejusdemque*, D. Erasmi, P. Scriverii, M. Zuer, Boxhornii, Ott. Arntzenii, *&c. Notas & Castigationes, à* Tho. Ruddimanno.

In usum Scholarum.

Illis quæ cecinit Themis aut Thymbræus Apollo,
Non canit hicce catus deteriora Cato.

Præfatio, cum brevissimis Præceptis.

QUum animadverterem quàm plurimos homines graviter errare in via morum, succurrendum & consulendum eorum opinioni existimavi, maximè ut gloriosè viverent, & honorem contingerent. Nunc te (fili carissime) docebo, quo pacto mores animi tui componas. Igitur præcepta mea ita legito, ut intelligas: Légere enim, & non intelligere, negligere est.

ITaque Deo supplica.
Parentes ama.
Cognatos cole.
Magistrum metue.
Datum serva.
Foro te para.
Cum bonis ambula.
Ad consilium ne accesseris, antequam voceris.
Mundus esto.
Saluta libenter.
Majori cede.
Minori parce.
Rem tuam custodi.
Verecundiam serva.
Diligentiam adhibe.
Libros lege.
Quæ legeris memento.
Familiam cura.
Blandus esto.
Irasci ab re noli.
Neminem irriseris.
Miserum ne irriseris.
Mutuum dato.
Cui des videto.
In judicium adesto.
Conjugem ama.
Liberos erudi.
Patere legem quam ipse tuleris.
Pauca in convivio loquere.
Convivare rarò.
Quod satis est dormi.
Jusjurandum serva.
Vino te tempera.
Pugna pro patria.
Nil temere credideris.
Tu te consule.
Meretricem fuge.
Literas disce.
Nihil mentiri debes.
Bonis benefacito.
Maledicus ne esto.
Existimationem retine.
Æquum judica.
Parentes patientiâ vince.

Beneficii accepti memor esto.
Ad prætorium stato.
Consultus esto.
Utere virtute.
Iracundiam tempera.
Trocho lude.
Aleas fuge.
Nihil ex arbitrio virium feceris.
Minorem te ne contempseris.
Aliena concupiscere noli.
Illud studе quod justum est.
Amorem libenter ferto.

DISTICHORUM de Moribus,

LIBER I.

Dei cultus præcipuus.

SI Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit purâ mente colendus.

Somnolentia vitanda.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Cohibenda lingua.

Virtutem primam esse puta compescere linguam:
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

Sibi ipsi conveniendum.

Sperne repugnando tibi tu contrarius esse:
Conveniet nulli qui secum dissidet ipse.

Nemo temere culpandus.

Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Cùm culpas alios, nemo sine crimine vivit.

Utilitas divitiis anteponenda.

Quæ nocitura tenes, quamvis sint cara, relinque:
Utilitas opibus præponi tempore debet.

Mores pro tempore mutandi.

Et * levis & constans, ut res expostulat, esto:
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

* *al.* Constans aut levis, *repugnante metro.*

Uxori non semper assentiendum.

Nil temere uxori de servis crede querenti:
Sæpe etenim mulier, quem conjunx diligit, odit.

Instandum correctioni amici.

Cúmque mones aliquem, nec se velit ipse moneri,
Si tibi sit carus, noli desistere cœptis.

Stulti verbis non vincuntur.

Contra verbosos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Amicus sibi quisque primus.

Dilige sic alios, ut sis tibi carus amicus,
Sic bonus esto, bonis, ne te mala damna sequantur.

Ru-

Rumores ſpargere vetitum.

Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

Fides aliena non promittenda.

Rem tibi promiſſam certò promittere noli:
Rara fides ideo eſt, quia multi multa loquuntur.

Judex quiſque ſit ſui.

Cut te aliquis laudat, judex tuus eſſe memento:
Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli.

Beneficiorum ratio.

Officium alterius multis narrare memento:
Atque aliis cùm tu benefeceris, ipſe ſileto.

Senio bene geſta referenda.

Multorum cum facta ſenex & dicta recenſes,
Fac tibi ſuccurrant, juvenis quæ feceris ipſe.

Suſpicionis labes.

Ne cures ſi quis tacito ſermone loquatur:
Conſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici.

In proſperis de adverſis cogitandum.

Cùm fueris felix, quæ ſunt adverſa caveto:
Non eodem curſu reſpondent ultima primis.

Mors alterius non ſperanda.

Cum dubia & fragilis ſit nobis vita tributa,
In morte alterius ſpem tu tibi ponere noli.

Animus in dono æſtimandus.

Exiguum munus cùm dat tibi pauper amicus,
Accipito placidè, plenè & laudare memento.

Paupertas toleranda.

Infantem nudum cùm te natura creârit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Mors non formidanda.

Ne timeas illam, quæ vitæ eſt ultima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit perdit id ipſum.

Amicorum ingratitudo fugienda.

Si tibi pro meritis nemo reſpondet amicus,
Incuſare Deum noli, ſed te ipſe coërce.

Frugalitas.

Ne tibi quid deſit, quæſitis utere parcè:
Utque quod eſt ſerves, ſemper tibi deeſſe putato.

Promiſſio iterata moleſta.

Quod præſtare potes, ne bis promiſeris ulli:
Ne ſis ventoſus, dum vis bonus ipſe videri.

Ars arte deludenda.

Qui ſimulat verbis, nec corde eſt fidus amicus:
Tu quoque fac ſimile; ſic ars deluditur arte.

Blandiloquentia suspecta.

Noli homines blando nimium sermone probare:
Fistula dulcè canit, volucrem dum decipit auceps.

Liberi artibus instruendi.

Cum tibi sint nati, nec opes; tunc artibus illos
Instrue, quò possint inopem defendere vitam.

Res quomodo æstimandæ.

Quod vile est, carum; quod carum est, vile putato:
Sic tibi nec cupidus, nec avarus habeberis ulli.

Culpata non facienda.

Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum:

Concedenda petenda.

Quod justum est petito, vel quod videatur honestum:
Nam stultum est petere id, quod possit jure negari.

Nota ignotis non commutanda.

Ignotum tibi tu noli præponere notis:
Cognita judicio constant, incognita casu.

Dies quisque supremus putandus.

Cùm dubia incertis versetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem * quocunque laboras.

* *al.* quicunque.

Obsecundandum amicis.

Vincere cum possis, interdum cede sodali:
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.

Amicitiæ mutua officia.

Ne dubites, cùm magna petes, impendere parva:
His etenim rebus conjungit Gratia caros.

Amicitia rixas odit.

Litem inferre cave cum quo tibi gratia juncta est:
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.

Castigatio sine ira.

Servorum ob culpam cùm te dolor urget in iram,
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.

Patientiâ vincendum.

Quem superare potes, interdum vince ferendo:
Maxima enim morum semper patientia virtus.

Quæsita sunt servanda.

Conserva potiùs, quæ sunt jam parta labore:
Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

Consulendum sibi in primis.

Dapsilis interdum notis, & carus amicis,
Cum fueris felix, semper tibi proximus esto.

LIB. II. PRÆFATIO.

TElluris si fortè velis cognoscere cultus,
Virgilium legito. Quòd si mage nôsse laboras
Herbarum vires, Macer has tibi carmine dicet,
Corporis ut cunctos possis depellere morbos.
Si Romana cupis & civica noscere bella,
Lucanum quæras, qui Martis prœlia dixit.
Si quis amare velis, vel discere amare legendo,
Nasonem petito. Sin autem cura tibi hæc est,
Ut sapiens vivas, audi quæ discere possis,
Per quæ semotum vitiis traducitur ævum.
Ergo ades, & quæ sit sapientia, disce legendo.

De omnibus bene merendum.

SI potes, ignotis etiam prodesse memento:
Utilius regno est meritis acquirere amicos.

Arcana Dei non scrutanda.

Mitte arcana Dei, cœlumque inquirere quid sit:
Cùm sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

Mortis timor gaudia vitæ pellit.

Linque metum lethi, nam stultum est tempore in omni,
Dum mortem metuis, amittere gaudia vitæ.

Iracundia cavenda.

Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Expendendum ubi opus est.

Fac sumptum properè, cùm res desiderat ipsa:
Dandum etenim est aliquid, cùm tempus postulat aut res.

Fortuna modica tutior.

Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento:
Tuta mage est puppis modico quæ flumine fertur.

Occulta vitia reticenda.

Quod pudeat, socios prudens celare memento:
Ne plures culpent id, quod tibi displicet uni.

Occulta tandem revelantur.

Nolo putes pravos homines peccata lucrari:
Temporibus peccata latent, sed tempore * parent.

Imbecillitas virtute compensatur.

Corporis exigui vires contemnere noli:
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

Cedendum potiori ad tempus.

Cui scièris non esse parem te, tempore cede:
Victorem à victo superari sæpe videmus.

* *i. e.* apparent, *vulgò* parent *contra metri legem.*

Rixan-

Rixandum cum familiaribus non esse.

Adversus notum noli contendere verbis:
Lis minimis verbis interdum maxima crescit.

Fortuna non quærenda sorte.

Quid Deus intendat, noli perquirere sorte:
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.

Luxus odium generat.

Invidiam nimio cultu vitare memento:
Quæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestum est.

Animus non deponendus ob iniquum judicium.

Esto animo forti, cùm sis damnatus iniquè:
Nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo.

Reconciliatis lis non refricanda.

Litis præteritæ noli maledicta referre:
Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

Teipsum neque landa, neque culpa.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse:
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Parsimonia.

Utere quæsitis parcè, cùm sumptus abundat:
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.

Supercilium nonnunquam deponendum.

Insipiens esto, cùm tempus postulat, aut res:
Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Neque prodigus, neque avarus.

Luxuriam fugito; simul & vitare memento
Crimen avaritiæ: nam sunt contraria famæ.

Loquaci parum credendum.

Noli tu quædam referenti credere semper:
Exigua iis tribuenda fides qui multa loquuntur.

Ebrius vinum non accusat.

Quæ * potu peccas, ignoscere tu tibi noli: * *al.* potus.
Nam nullum crimen vini est, sed culpa bibentis.

Amicis consilia credenda.

Consilium arcanum tacito committe sodali;
Corporis auxilium medico committe fideli.

Successus malorum ne te offendat.

Indignos noli successus ferre molestè:
Indulget fortuna malis ut lædere possit.

Futuros casus prævidendos.

Prospice, qui veniunt, hos casus esse ferendos:
Nam leviùs lædit, quicquid prævidimus ante.

Animus in adversis spe fovendus.

Rebus in adversis animum submittere noli:
Spem retine: spes una hominem nec morte relinquit.

Oppor-

Opportunitas cùm contingit tenenda.

Rem tibi quam noſcis aptam, dimittere noli:
Fronte capillatâ, poſt eſt occaſio calva.

Futura ex præteritis colligenda.

Quod ſequitur, ſpecta; quodque imminet antè, videto;
Illum imitare Deum, qui partem ſpectat utramque.

Vitæ ratio habenda.

Fortiùs ut valeas, interdum parcior eſto:
Pauca voluptati debentur, plura ſaluti.

Multitudini cedendum.

Judicium populi nunquam contempſeris unus:
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.

Valetudo curanda.

Sit tibi præcipuè, quòd primum eſt, cura ſalutis:
Tempora ne culpes, cùm ſis tibi cauſa doloris.

Somnia non obſervanda.

Somnia ne cures: nam mens humana quod † optat,
Dum vigilans ſperat, per ſomnum cernit id ipſum.

† *al.* optans, --- vigilat.

LIB. III. PRÆFATIO.

HOC quicunque voles carmen cognoſcere, Lector,
Quum præcepta ferat quæ ſunt gratiſſima vitæ,
Commoda multa feres. Sin autem ſpreveris illud,
Non me ſcriptorem, ſed te neglexeris ipſe.

Dandam eſſe operam literis.

INſtrue præceptis animum, nec diſcere ceſſes:
Nam ſine doctrina vita eſt quaſi mortis imago.

Moribus captanda fama.

Fortunæ donis ſemper parere memento:
Non opibus bona fama datur, ſed moribus ipſis.

Rectè agendo aliorum linguam ne timeas.

Cùm rectè vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrii noſtri non eſt quid quiſque loquatur.

Amici crimen celandum.

Productus teſtis, ſalvo tamen antè pudore,
Quantumcunque potes, celato crimen amici.

Blandiloquentia ſuſpecta.

Sermones blandos blæſoſque cavere memento:
Simplicitas veri * ſana eſt, fraus ficta loquendi.

* *Scal.* fama, i. e. *indicium*, *al.* norma.

Ignava vita fugienda.

Segnitiem fugito, quæ vitæ ignavia fertur:
Nam cùm animus languet, conſumit inertia corpus.

Animus feſſus relaxandus.

Interpone tuis interdum gaudia curis:
Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem.

Malo

Malo animo neminem reprehendas.

Alterius dictum, aut factum, ne carpseris unquam:
Exemplo simili ne te derideat alter.

Hereditas augenda.

Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato
Augendo serva; ne sis, quem fama loquatur.

Senectus sit munifica.

Cùm tibi divitiæ superant in fine senectæ;
Munificus facito vivas, non parcus amicis.

Verba attendenda, non os loquentis.

Utile consilium dominus ne despice servi,
Nullius sensum, si prodest, tempseris unquam.

Præsenti utendum fortunâ.

Rebus & in censu si non est quod fuit antè,
Fac vivas contentus eo quod tempora præbent.

Uxor spe dotis non quærenda.

Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis:
Nec retinere velis, si cœperit esse molesta.

Alieno sapere exemplo.

Multorum disce exemplo quæ facta sequaris,
Quæ fugias: vita est nobis aliena magistra.

Nihil ultra vires.

Quod potes, id tentes, operis ne pondere pressus
Succumbat labor, & frustra tentata relinquas.

Consentire videtur qui tacet.

Quod nôsti haud rectè factum, nolito silere:
Ne videare malos imitari velle tacendo.

Rigor favore temperandus.

Judicis auxilium sub iniqua lege rogato:
Ipsæ etiam leges cupiunt ut jure regantur.

Feras quæ tuâ culpâ pateris.

Quod meritò pateris, patienter ferre memento:
Cumque reus tibi sis, ipsum te judice damna.

Multa legenda, sed cum judicio.

Multa legas facito: perlectis † perlege multa: † *al.* neglige.
Nam miranda canunt, sed non credenda poëtæ.

Modestè in convivio loquendum.

Inter convivas fac sis sermone modestus:
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

Iracundia uxoris non formidanda.

Conjugis iratæ nolito verba timere:
Nam lacrymis struit insidias, dum fœmina plorat.

Quæsitis utendum, non abutendum.

Utere quæsitis, sed ne videaris abuti:
Qui sua consumunt, cum deest, aliena sequuntur.

Mors

Mors non formidanda.

Fac tibi proponas mortem non esse timendam:
Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

Uxor proba, si loquax, ferenda.

Uxoris linguam, si frugi est, ferre memento:
Namque malum est te nolle pati, hanc non posse tacere.

Pietas erga parentes.

Æquâ diligito caros pietate parentes:
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

LIB. IV. PRÆFATIO.

SEcuram quicunque cupis traducere vitam,
Nec vitiis hærere animum, quæ moribus obsunt;
Hæc præcepta tibi semper relegenda memento:
Invenies aliquid quo * te nitare magistro.

* *al.* quo vitæ utare. *al.* tu te utare.

Divitiarum contemptus.

DEspice divitias, si vis animo esse beatus;
Quas qui suspiciunt, mendicant semper, avari.

Vivere secundùm naturam optimum.

Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,
Si contentus eo fueris quod postulat usus.

Res ratione regenda.

Cum sis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ † nulla est, dicere cæcam.

† *al.* non est.

Amor pecuniæ ad usum.

Dilige * denarium, sed parcè dilige formam,
Quam nemo sanctus nec honestus captat ‡ habere.

* *al.* denarî. ‡ *al.* abære.

In valetudine ne opibus parcas.

Quum fueris locuples, corpus curare memento:
Æger dives habet nummos, * sed non habet ipsum.

* *al.* se.

Castigatio paterna ferenda.

Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,
Fer patris imperium, cum verbis exit in iram.

Certa & utilia agenda.

Res age quæ prosunt; rursus vitare memento
In quibus error inest, nec spes est certa laboris.

Libenter donandum.

Quod donare potes, gratis * concede roganti:
Nam rectè fecisse bonis in parte † lucrosum est.

* *al.* ne vende. † *al.* lucrorum.

Suspicio statim expendenda.

Quod tibi suspectum est, confestim discute quid sit:
Namque solent primò quæ sunt neglecta, nocere.

Venus abstinentiâ cohibenda.

Cùm te detineat Veneris damnosa voluptas,
Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica est.

Homo

Homo malus, fera pessima.

Cùm tibi proponas animalia cuncta timere,
Unum hominem tibi præcipio plus esse timendum.

Sapientia fortitudini præferenda.

Cùm tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,
Fac sapias; sic tu poteris vir fortis haberi.

Amicus cordis medicus.

Auxilium à notis petito, si forte laboras:
Nec quisquam melior medicus, quàm fidus amicus.

Sacrificium spiritus dejectus.

Cùm sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

Amicus ex moribus deligendus.

Cùm tibi vel socium, vel fidum quæris amicum,
Non tibi fortuna est hominis, sed vita petenda.

Avaritia vitanda.

Utere quæsitis opibus; fuge nomen avari:
Quid tibi divitiæ prosunt, si pauper abundas?

Voluptas inimica famæ.

Si famam servare cupis, dum vivis, honestam;
Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia vitæ.

Senem etiam delirum ne irriseris.

Cùm sapias animo, noli irridere senectam:
Nam quicunque senet, sensus puerilis in illo est.

Opes fluxæ, ars perpetua.

Disce aliquid: nam cùm subitò fortuna recessit,
Ars remanet, vitamque hominis non deserit unquam.

Mores ex verbis cogniti.

Perspicito tecum tacitus, quid quisque loquatur:
Sermo etenim mores & celat & indicat idem.

Ars usu juvanda.

Exerce studium, quamvis perceperis artem:
Ut cura ingenium, sic & manus adjuvat usum.

Vitæ contemptus.

Multùm ne cures venturi tempora fati:
Non metuit mortem qui scit contemnere vitam.

Discendum & docendum.

Disce, sed a doctis: indoctos ipse doceto:
Propaganda etenim rerum doctrina bonarum est.

Bibendi ratio.

Hoc bibe quod possis, si tu vis vivere sanus:
Morbi causa mali nimia est * quandoque voluptas.

* *al.* quæcunque.

Ne damnes quod probaveris.

Laudâris quodcunque palam, quodcunque probâris,
Hoc vide ne rursus levitatis crimine damnes.

Cir-

Circumſpectus utráque fortunâ eſto.

Tranquillis rebus quæ ſunt adverſa † timeto: † *al.* caveto.
Rurſus in adverſis meliùs ſperare memento.

Studio creſcit ſapientia.

Diſcere ne ceſſes; curâ ſapientia creſcit:
Rara datur longo prudentia temporis uſu.

Parcè laudandum.

Parcè laudato: nam quem tu ſæpe probâris,
Una dies, qualis fuerit, monſtrabit, amicus.

Diſcere non pudeat.

Ne pudeat, quæ neſciêris, te velle doceri:
Scire aliquid laus eſt, * turpe eſt nil diſcere velle. * *al.* culpa.

Rebus utendum ad ſobrietatem.

Cum Venere & Baccho lis eſt, ſed juncta voluptas:
Quod blandum eſt, animo complectere, ſed fuge lites.

Triſtibus & tacitis non fidendum.

Demiſſos animo, ac tacitos vitare memento:
Quâ flumen placidum eſt forſan latet altiùs unda.

Sors ſorti conferenda.

Cùm tibi diſpliceat rerum fortuna tuarum,
Alterius ſpecta * quo ſis diſcrimine pejor. * *al.* qui ſis.

Ultra vires nihil aggrediendum.

Quod potes id tenta: nam littus carpere remis
Tutius eſt multo, quàm † velis tendere in altum. † *al.* velum.

Cum juſto iniquè non contendendum.

Contra hominem juſtum pravè contendere noli:
Semper enim Deus injuſtas ulciſcitur iras.

Fortuna utraque æquè ferenda.

Ereptis opibus noli tu flere querendo:
Sed gaude potiùs, * tibi ſi contingat habere. * *al.* ſi nil.

Ab amico quid ferendum.

Eſt jactura gravis, quæ ſunt amittere damnis:
Sunt quædam, quæ ferre decet patienter amicum.

Tempori non confidendum.

Tempora longa tibi noli promittere vitæ:
Quócunque ingrederis ſequitur mors, corpus ut umbra.

Deus quibus placandus.

† Thure Deum placa: vitulum ſine creſcat aratro: † *al.* Tute.
Ne credas placare Deum, dum cæde litatur.

A potentioribus læſus diſſimula.

Cede locum læſus, fortunæ cede potenti:
Lædere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.

Caſtiga teipſum.

Cùm quid peccâris, caſtiga te ipſe ſubinde:
Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.

Amicus mutatus non vituperandus.

Damnâris nunquam, poſt longum tempus, amicum:
Mutavit mores; ſed pignora prima memento.

Beneficiis collatis attende.

Gratior officiis, quo ſis magè charior, eſto:
Ne nomen ſubeas quod dicitur * officiperda. * *al.* officiperdæ.

Suſpicionem tolle.

Suſpectus cave ſis, ne ſis miſer omnibus horis:
Nam timidis & ſuſpectis aptiſſima mors eſt.

Humanitas erga ſervos.

Cum fueris famulos proprios mercatus in uſus,
Ut ſervos dicas, homines tamen eſſe memento.

Occaſionem rei commodæ ne prætermittas.

Quamprimum rapienda tibi eſt occaſio prima,
Ne rurſus quæras, quæ jam neglexeris antè.

Non lætandum repentino obitu.

Morte repentinâ noli gaudere malorum:
Felices obeunt, quorum ſine crimine vita eſt.

Pauper ſimulatum vitet amicum.

Cum tibi ſit conjux, † ne res & fama laboret, † *al.* nec.
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Junge ſtudium.

Cum tibi contigerit ſtudio cognoſcere multa;
Fac diſcas multa, & vites * nil velle doceri. * *al.* non.

Brevitas memoriæ amica.

Miraris verbis nudis me ſcribere verſus?
Hos brevitas ſenſûs fecit conjungere binos.

JOANNIS SULPITII Verulani, *de Moribus & Civilitate Puerorum, Carmen.*

QUOS decet in vita mores ſervare docemus,
Virtuti ut ſtudeas, literuliſque ſimul.
Quæ te igitur moneo, miti, puer, indole ſerva;
Præque tuis oculis hæc mea juſſa tene.
Omnibus in rebus ſtudeas precor eſſe modeſtus:
Sis avidus laudis, ſit tibi cura boni.
Sis pius ac ſanctus, nec non venerare parentes:
Et noceas nulli, ſurripiaſque nihil.
Futilis & mendax nunquam, nec credulus eſto:
Dedecus & metuas, & reverere bonos.
Improba peſtiferi fugias commercia cœtûs,
Sic & honorus eris, ſic eris ipſe bonus.

Nec

Nec maledicta refer, nec promas turpia dictu:
Est stomachosa quidem dicere turpe tibi.
Segnitiem fugito, quæ vitæ commoda pellit:
Parcæ gulæ turpi, luxuriamque fuge.
Parce & avaritiæ; bilem frenare memento,
Atque animi fastus, invidiamque simul.
Fidus sis audensque bonis: temerarius esse
Despice: non audax sis, timidusve nimis.
Esto verecundus: rectum te lectus habebit;
Detege nec socium, nec tua membra, puer.
Nec sis difficilis nimium nimiumque severus;
Sed bonus & blandus conspiciare, puer.
Nec penitus mutum, nec te decet esse loquacem:
Convenit ille toro, convenit iste foro.
Hæc te servantem vitæ laus spesque futuræ;
Spernentem turpis pœnaque morsque manent.
Nunc faciles aures, animum quoque trade serenum;
Morigerare mihi, mollia jussa dabo.
Sit sine labe toga, & facies sit lota manusque;
Stiria nec naso pendeat ulla tuo.
Et nihil emineat, sint & sine sordibus ungues;
Sit coma, sit turpi calceus absque luto.
Linguaque non rigeat, careant rubigine dentes:
Atque palam pudeat te fricuisse caput;
Exprimere et pulices, scabiemque urgere nocentem;
Ne te sordidulum, qui videt ista, vocet.
Seu spuis, aut mungis nares, nutasve, memento
Post tua concussum vertere terga caput.
Mucorem haud tangas digitis, sputumve resorbas:
Panniculo nasum mungere nempe decet.
Et ructare cave, quin os in terga reflectas:
Stringe os, & crepitum comprime quæso, puer.
Munditiæque tibi placeant: medio quoque cultu
Utere, ne turpis vel videare levis.
Non sum qui laudem summo te accumbere mane:
Judice conveniens me dabit hora cibum.
Nec vos ante focum cœnas producite longas:
Esse decet vivas, vivere non ut edas.
Nec sis vinosus, quamvis potâsse Catonem
Fama refert; fugias sumere vina mera.
Namque cibus nimius, potus quoque, maxima pœna;
Corporis & vires ingeniique rapit.

Insternas mensam: nitidas imponito quadras,
Atque salem & Cererem, flumina, vina, dapes.
Deinde precare Deum, qui nobis cuncta benignè
Suggerit, ut sanctos det tibi manè cibos.
Atque, puer, jubeo, sedeas vel rarò, sed astans
Pocula porge celer, tolle, repone dapes.
Juraque convivas super importare minister
Effuge; nam turpis sæpè fit inde toga.
Quodque jubebit herus, facilis semperque subito;
Quemque tibi dederit, tu tibi sume locum.
Et licet antiqui cubuissent pectore prono,
Te colla hæc ætas recta tenere jubet.
Et sinito mensæ cubitis hærere potentes:
Tu tantùm faciles pone, repone manus.
Quodque vir egregius pavido tibi porrigit, illud
Sume lubens, grates aptaque verba refer.
Esto tribus digitis, magnos nec sumito morsus:
Nec duplices offas mandere utrinque juvet.
Te vitare velim, cupidus ne ut lurco sonoras
Contractes fauces: mandere ritè decet.
Gausape non macules, aut pectus; nec tibi mentum
Stillet; sitve tibi ne manus uncta, cave.
Sæpe ora & digitos mappâ siccabis adeptâ,
In quadra faciat nec tua palma moram.
Quod tibi vicinum fuerit, tu sume: sodali
Cede tuo, referat dum tamen ille manum.
Dumque in frusta secat, caveas sumpsisse recisa:
Lurco legit dulces absque rubore bolos.
Non, manibus gremio immissis, tibi vellicet unguis
Quod sumes: residens non agitato pedes.
Incidasque priùs quàm dens contundat ofellam:
Tingantur rursum ne tibi morsa cave.
Ne lingas digitos, nec rodas turpiter ossa,
Ast ea cultello radere ritè potes.
Sive super mensam cortex cumuletur, & ipsa
Ossa, vel in quadram, præ pedibusve jace.
Nec digitis tenta, nec pinguia delige frusta:
Et quócunque manus, huc tibi lumen eat.
Nec socium torvè inspicias, quidve ederit ille
Advertas: gestus inspice sæpe tuos.
Pocula cùm sumes, tergat tibi mappa labella:
Si tergas manibus, non mihi charus eris.

Una manus ſumat pateram, ni hanc jactet in hoſtem
  * Theſeus, aut Beli ſint monumenta patris :
Hanc binis quòd ſi manibus captabis, id aptè
  Efficies : digitis pocula ſume tribus.
Ac teneas oculos, nec ſupra pocula fare :
  Plena aliquo vites ſit tibi bucca cibo.
Deme merum cyatho, multum ne fortè ſuperſit,
  Quod nolit ſocius ſumere fortè tuus.
Qui ſapit, extinguet multo cum fonte falernum,
  Et parco lympham diluet ille mero.
Haud facias binos hauſtus, nec feſſus anheles,
  Sibila nec labiis ſtridula prome tuis.
Nec citò ſorbebis, velut ovi lutea grati :
  Nec nimium tardâ ſume falerna morâ.
Unum, ſive duo, ad ſummum tria pocula ſumes :
  Si hunc numerum excedas, jam mihi potus eris.
Fac videas quodcunque bibes, modicumque pitiſſa :
  Crater, ſive calix, det tibi vina, brevis.
Os quoque tergebis ſemper poſt pocula ; palmas
  Ablue, quum menſam deſeris atque labra.
Denique jam grates pro donis reddito Chriſto,
  Qui æternas nobis præparat unus opes.
Inflectenſque genu, jungens & brachia, PROSIT
  Dicito : mox tolles ordine quæque ſuo.

* *Vid.* Ovid. Met. 12. v. 235. & Virg. Æn. 1. v. 733.

REGIMEN MENSÆ honorabile.

Nemo cibum capiat, donec Benedictio fiat.

Dum manducatis,
- Vultus hilares habea-
- Sal cultello capia-
- Quod edendum ſit, ne peta-
- Non niſi depoſitum capia-
- Rixas & murmura fugia-
- Manibus erectis ſedea-
- Mappam mundam tenea-
- Ne ſcalpatis cavea-
- Aliis partem tribua-
- Morſus non rejicia-
- Modicum ſed crebrò biba-
- Grates DEO per CHRISTUM refera- tis.

Privetur menſâ, qui ſpreverit hæc documenta.

FINIS.

****

RUDIMENTA PIETATIS.

In Nomine Dei, Patris, Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

ORATIO DOMINICA, *Matth. 6.*

PAter noſter, qui es in cœlis, 1. Sanctificetur Nomen tuum. 2. Veniat Regnum tuum. 3. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra. 4. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 5. Et remitte nobis debita noſtra, ſicût & nos remittimus debitoribus noſtris. 6. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo: Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula. *Amen.*

SYMBOLUM APOSTOLICUM.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ: 2. Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum, 3. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, 4. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferna; 5. Tertio die reſurrexit à mortuis, 6. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: 7. Inde venturus eſt judicatum vivos & mortuos. 8. Credo in Spiritum Sanctum. 9. Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem; 10. Remiſſionem peccatorum; 11. Carnis reſurrectionem; 12. Et vitam æternam. *Amen.*

Decalogus, *ſive* Lex DEI.

Loquutus eſt DEUS omnia verba hæc, Exod. 20.

EGo ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te ex Ægypto, è domo ſervitutis;

I. Non habebis deos alienos in conſpectu meo.

II. Ne ſculpas tibi ſimulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut ſuprà ſunt in cœlo, aut infrà in terra, aut in aquis ſub terra: neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, vindi-

vindicans peccata patrum in filios, idque in tertia & quarta progenie eorum qui oderunt me, & misericordiâ utens in millesimam eorum qui diligunt me, & observant præcepta mea.

III. Ne usurpes nomen Domini Dei tui temere. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui Nomen ejus vanè usurpaverit.

IV. Memento diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At septimo die Sabbatum erit Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena qui est intra portas tuas. Nam sex diebus fecit Deus cœlum, terram, & mare, & quæcunque in iis sunt: requievit autem die septimo, ideoque benedixit diei Sabbati, & sanctificavit eum.

V. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.

VI. Non occides.

VII. Non committes adulterium.

VIII. Non furaberis.

IX. Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.

X. Non concupisces domum proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, nec servum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec quicquam eorum quæ sunt proximi tui.

SUMMA LEGIS. *Matth.* 22. 34.

PHarisæi, quum audivissent quòd IESUS silentium imposuisset Sadducæis, congregati sunt pariter: 35. *Et interrogavit eum unus ex iis qui erat legis peritus, tentans eum, & dicens,* 36. *Præceptor, quod præceptum maximum est in lege?*

37. IESUS autem dixit illi, Ut diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni cogitatione tua. 38. Hoc est præceptum maximum & primum. 39. Secundum autem est simile illi: Nempe, ut diligas proximum tuum sicut te ipsum.

40. Ex his duobus præceptis pendent Lex & Prophetæ.

Quot sunt Christianæ Ecclesiæ Sacramenta?

Duo.

Quæ sunt illa?

Baptismus, & sacra Cœna Domini.

INSTITUTIO BAPTISMI,

Cujus hæc ſunt verba, Matth. 28. 19. Mar. 16. 16.

ITE & docete omnes gentes, baptizantes eos, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur: Qui non crediderit, condemnabitur. Et docete eos, ut cuſtodiant quicquid mandavi vobis: & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.

Hæc promiſſio repetitur, cùm Scriptura Baptiſmum nominat Lavacrum regenerationis, & ablutionem peccatorum, *Tit.* 3. 5. *Act.* 22. 16.

INSTITUTIO COENÆ DOMINI,

Cujus hæc ſunt verba, 1 Cor. 11. 23.

EGO enim accepi à Domino noſtro id quod tradidi vobis: Quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus, eâ nocte quâ proditus eſt, accepit panem: &, gratiis actis, fregit, ac dixit: *Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur: Hoc facite ad memoriam mei.* Itidem & poculum, poſtquam cœnaſſet, dicendo, *Hoc poculum eſt novum illud fœdus per meum ſanguinem: Hoc facite, quotieſcunque biberitis, in mei recordationem.* Quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis uſque quò venerit. Itaque quiſquis ederit panem hunc, vel biberit poculum Domini indignè, reus eſt corporis & ſanguinis Domini. Probet autem quiſque ſe ipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, quia non diſcernit corpus Domini.

Hæc promiſſio à Paulo exprimitur, cùm inquit;

POculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio eſt ſanguinis Chriſti? Panis quem frangimus, nonne communio eſt corporis Chriſti? Quoniam unus panis, unum corpus, multi ſumus. Nam omnes unius panis participes ſumus.

Sum-

Summula CATECHISMI.

Triplex Hominis Status.

1. In ſanctitate & ſanitate.
2. Sub peccato & morte.
3. Sub Chriſti gratia.

QUÆSTIO.

QUIS hominem creavit?

Reſponſio. DEUS.

Q. *Qualem creavit eum?*

R. Sanctum & ſanum, mundique dominum.

Q. *In quem uſum creatus eſt?*

R. Ut Deo inſerviret.

Q. *Quod ſervitii genus ab eo exigebat Deus?*

R. Legis ſuæ præſtationem.

Q. *Num in legis Dei præſtatione perſtitit?*

R. Nequaquam: ſed eam fœdè tranſgreſſus eſt.

Q. *Quæ hujus tranſgreſſionis pœna?*

R. Mors æterna, cùm animæ, tum corporis, & ipſi & poſteris.

Q. *Quomodo inde liberamur?*

R. Merâ Dei gratiâ in Chriſto Ieſu, abſque noſtris meritis.

Q. *Cujuſmodi perſona eſt Chriſtus?*

R. Verè Deus, veréque homo, in perſona una.

Q. *Quomodo nos liberavit?*

R. Morte ſuâ: mortem enim nobis debitam pro nobis ſubiit, noſque eripuit.

Q. *Num omnes liberantur per Chriſtum?*

R. Minimè, ſed ii tantùm qui fide eum amplectuntur.

Q. *Quid eſt fides?*

R. Cùm mihi perſuadeo, Deum me omneſque Sanctos amare, nobiſque Chriſtum cum omnibus ſuis bonis gratis donare.

Q. *Recenſe Summam tuæ Fidei?*

R. Credo in Deum Patrem, *&c.*

Q. *Quis operatur hanc fidem in nobis?*

R. Spiritus Sanctus per Verbum & Sacramenta.

Q. *Quomodo eam operatur per Verbum & Sacramenta?*

R. Aperit cor, ut Deo loquenti in Verbo & Sacramentis credamus.

Q. *Quid eſt Dei Verbum?*

R. Quicquid veteris ac Novi Teſtamenti libris continetur.

Q. *Verbi Dei quot partes?*

R. Duæ, Lex & Evangelium.

Q. *Quid eſt Lex?*

R. Doctrina Dei, debitum à nobis exigens, & quia non ſu-

ſumus ſolvendo, damnans.

Q. *Quid Evangelium?*

R. Doctrina Chriſtum cum omnibus ſuis bonis nobis offerens, debitumque noſtrum ab eo ſolutum, noſque liberos eſſe proclamans.

Q. *Quid Sacramenta?*

R. Sigilla Dei, ſignificantia & donantia nobis Chriſtum cum omnibus ſuis bonis.

Q. *Quæ hæc Chriſti bona?*

R. Amor Dei, Spiritus Sanctus, unio noſtri cum Chriſto: unde remiſſio peccatorum, ſanatio naturæ, ſpiritualis nutritio & vita æterna promanant.

Q. *Quot ſunt Novi Teſtamenti Sacramenta?*

R. Duo, Baptiſmus & ſacra Cœna.

Q. *Quid eſt Baptiſmus?*

R. Sacramentum inſitionis noſtræ in Chriſtum, & ablutionis à peccatis.

Q. *Quid inſitio noſtri in Chriſtum?*

R. Unio noſtri cum Chriſto; unde manat remiſſio peccatorum & perpetua reſipiſcentia.

Q. *Baptiſmus quid juvat fidem?*

R. Teſtatur, ut aquâ corpus abluitur, ſic operante Spiritu Sancto, â peccatorum reatu & radice, per fidem in ſanguine Chriſti, nos repurgari.

Q. *Quid eſt ſacra Cœna?*

R. Sacramentum ſpiritualis nutitrionis noſtræ in Chriſto.

Q. *Cœna Domini quid juvat fidem?*

R. Teſtatur, ut pane & v
no corpora noſtra aluntur
augeſcunt; ſic animas noſtra
corpore & ſanguine Chriſti cru
cifixi ali & corroborari ad v
tam æternam.

Q. *Corpore & ſanguine Chri
ſti quomodo alimur?*

R. Dum fide percipimus, &
Spiritûs Sancti, qui unà adeſt
vi, ea nobis applicamus.

Q. *Quando fide percipimus
& nobis applicamus corpu
Chriſti crucifixi?*

R. Dum nobis perſuademu
Chriſti mortem & crucifixio
nem non minùs ad nos pert
nere, quàm ſi ipſi nos pro pec
catis noſtris crucifixi eſſemus
Perſuaſio autem hæc eſt ver
fidei.

Q. *Vera fides quomodo d
gnoſcitur?*

R. Per bona opera.

Q. *Quomodo cognoſcuntu
bona opera?*

R. Si Dei legi reſpondean

Q. *Recita Dei legem?*

R. Audi Iſrael, Ego ſu
Dominus, *&c.*

Q. *Hæc lex de quibus te a
monet?*

R. De officio meo erga D
um, & erga proximum.

Q. *Quid officii debes Deo?*

R. Supra omnes eum ut
mem.

Q. *Quid debes proximo?*

R. Eum ut amem tanqua
me ipſum.

Q. *Potis es hæc præſtare?*

R. Minimè gentium: na
tantiſper dum hîc vivimu
habi

habitat in nobis peccatum.

Q. *In Dei filiis quid hinc exiſtit?*

R. Perennis pugna inter carnem & ſpiritum.

Q. *In hac pugna quomodo nobis verſandum?*

R. Aſſiduè orandum, ut Deus peccata nobis remittat, imbecillitatemque ſuſtentet.

Q. *Quomodo orandum?*

R. Ut nos docuit Chriſtus, Pater noſter, qui es, *&c.*

Q. *Quî tibi perſuades, Deum donaturum quæ petis?*

R. Quia orare juſſit, pollicituſque eſt, quicquid peterem in Chriſti nomine, ſe mihi largiturum.

Q. *Quid debes Deo pro tot beneficiis?*

R. Ut ei gratias agam, perpetuóque ſerviam.

Q. *Quomodo Deo ſerviendum?*

R. Ex verbi ipſius præſcripto, ut jam dictum eſt.

Præcipua Capita Chriſtianæ Religionis, deſumpta è Sacra Scriptura Veteris ac Novi Teſtamenti.

I. *De* DEO.

Joan. 4. 24 DEUS eſt Spiritus. ———

Apoc. 4. 8. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui fuit, qui eſt, & qui venturus eſt.

Pſal. 147. 5. Dominus noſter eſt magnus, multarumque virium, & ſapientiæ ejus eſt immenſæ.

Exod. 34. 6. ——— Jehova, Jehova Deus, miſericors & exorabilis, longanimis, & abundans benignitate & fide.

Verſ. 7. Cuſtodiens miſericordiam millibus, condonans iniquitatem, tranſgreſſionem & peccatum, & qui nullo pacto abſolvet nocentem.

Deut. 6. 4. Jehova Deus noſter eſt unus Jehova.

Joan. 5. 7. Tres ſunt qui teſtantur in cœlo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus; & hi tres ſunt unum.

II. *De Creatione, lapſu, peccato & miſeria Hominis.*

Gen. 1. 26. ET Deus dixit, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, ſecundùm ſimilitudinem noſtram.

Verſ. 27. Itaque Deus creavit hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit eum. ———

Eccl. 7. 29. Deus fecit hominem rectum, ———

Rom. 5. 12. Peccatum intravit in mundum per unum hominem, & mors per peccatum: & ita mors pervaſit ad omnes homines, quatenus omnes peccârunt.

Rom. 3. 23. Omnes peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei.

Pſal. 51. 5. En formatus ſum in iniquitate, & in peccato mater mea concepit me.

III. *De*

III. *De redemptione generis humani per Ieſum Chriſtum.*

Joan. 3. 16. DEUS ſic amavit mundum, ut dederit filium ſuum uni nitum, ut quiſquis credit in eum, non pereat, ſed hab vitam æternam.

1 *Jo.* 4. 9. Amor Dei patuit erga nos in hoc, quòd Deus miſit filium um unigenitum in mundum, ut vivamus per eum.

V. 10. In hoc eſt amor, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd i dilexerit nos, & miſerit filium ſuum, ut eſſet piaculum pro peccatis noſt

1 *Pet.* 3. 18. Chriſtus quoque paſſus eſt ſemel pro peccatis, juſtus injuſtis, ut adduceret nos ad Deum.

1 *Pet.* 2. 24. Qui ipſemet ſuſtulit peccata noſtra in ſuo corpore ſuper gnum, ut nos mortui peccatis, viveremus juſtitiæ; cujus vibicibus ſan ſumus.

Tit. 2. 14. Qui dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquit & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem, accenſum ſtudio bonorum o rum.

IV. *De iis quæ Deus a nobis exigit ut ſalutem per Chriſtum c ſequamur.*

Act. 16. 30. DIxit, Domini, quid faciendum eſt mihi, ut ſim ſalvus
Ver. 31. Et illi dixerunt, Crede in Dominum Ieſum, & ſalvus e

Act. 3. 19. Reſipiſcite, & convertimini, ut peccata veſtra deleantur, c tempora recreationis venient à conſpectu Domini.

Iſa. 55. 6. Quærite Jehovam dum poſſit inveniri; invocate eum dum propinquus.

Ver. 7. Improbus derelinquat viam ſuam, & vir iniquus cogitationes as: revertaturque ad Jehovam, & miſerebitur illius; & ad Deum noſtru quia plurimùm condonabit.

Luc. 9. 23. Si quis vult venire poſt me, ipſe abneget ſe, tollatque ſu crucem quotidie, & ſequatur me.

Matth. 11. 28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & e recreabo vos.

Ver. 29. Attollite jugum meum in vos, & diſcite à me, quia mitis ſum humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.

Ver. 30. Jugum enim meum eſt facile, & onus meum eſt leve.

Heb. 5. 9. Perfectus factus eſt auctor ſalutis æternæ omnibus obedienti ſibi.

Jo. 14. 15. Si amatis me, ſervate præcepta mea.

Jo. 15. 14. Vos eſtis amici mei, ſi feceritis quæcunque ego præcipio vo

Tit. 2. 11. Gratia Dei quæ ſalutem adfert, apparuit omnibus hominibu

Ver. 12. Erudiens nos, ut, abnegatâ impietate & mundanis cupiditatib vivamus ſobriè, juſtè & piè in hoc præſenti ſeculo.

Mic. 6. 8. Indicavit tibi, O homo, quid ſit bonum: & quid exigit Jeho à te, niſi ut æquum facias, & ames miſericordiam, & ambules ſubmi cum Deo tuo?

Col. 3. 5. Mortificate igitur veſtra membra terreſtria; ſcortationem, i puritatem, libidinem, cupiditatem malam, & avaritiam, quæ eſt idololatri

Ver. 6. Propter quæ, ira Dei venit ſuper filios contumaces.

Ver. 8. ——Deponite hæc omnia, iram, excandeſcentiam, malitiam, m ledicentiam, obſcœnitatem verborum ex ore veſtro.

Ver. 9. Ne mentimini alii aliis.

Ver. 12. Induite igitur (ut electi Dei, ſancti amatique) viſcera miſe cordiæ, benignitatem, ſubmiſſionem animi, lenitatem, patientiam.

Ver.

V. 13. Sufferentes alii alios, & condonantes alii aliis: si quis habet querelam adversus aliquem, quemadmodum Christus condonavit vobis, sic quoque vos facite.

V. 14. Super omnia autem induite charitatem, quæ est vinculum perfectionis.

1 *Thes.* 4. 11. Et ut studeatis esse quieti, & agere res vestras, & operari propriis manibus, sicut præcepimus vobis.

1 *Pet.* 2. 27. Timete Deum, honorate regem.

Rom. 13. 1. Omnis anima esto subjecta potestatibus supereminentibus: nulla enim est potestas nisi à Deo: potestates quæ sunt, sunt ordinatæ à Deo.

V. 2. Itaque quisquis obsistit potestati, obsistit ordinationi Dei: qui autem obsistunt, accipient condemnationem sibi ipsis.

1 *Thes.* 5. 12. Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & admonent vos.

V. 13. Et faciatis eos maximi cum amore, propter opus ipsorum.

Heb. 13. 17. Parete gubernatoribus vestris, & obsequimini, nam ii vigilant pro animabus vestris, tanquam reddituri rationem; ut faciant id cum gaudio, & non cum dolore, id enim est inutile vobis.

Col. 3. 18. Uxores, submittite vos viris vestris, ut convenit in Domino.

V. 19. Viri, diligite uxores, & ne estote amarulenti adversus eas.

Eph. 6. 1. Liberi, obedite parentibus vestris in Domino, id enim æquum est.

V. 4. Et vos patres, ne provocate liberos vestros ad iram, sed educate eos in disciplina & admonitione Domini.

Col. 3. 22. Servi, obedite dominis vestris in omnibus secundùm carnem, non serviendo ad oculum, ut captantes gratiam hominum, sed cum simplicitate cordis, timentes Deum.

V. 23. Ac quicquid facitis, agitote id ex animo, tanquam Domino & non hominibus.

Col. 4. 1. Domini, præstate jus & æquum servis vestris, scientes vos quoque habere Dominum in cœlis.

Matth. 7. 12. Quæcunque igitur volueritis ut homines faciant vobis, vos facite etiam ita eis.

Matth. 24. 13. Qui sustinuerit ad finem, is servabitur.

Gal. 6. 9. Ne defetiscamur rectè faciendo; nam debito tempore metemus, si non fatigemur.

Apoc. 2. 10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

V. *De necessitate hac præstandi.*

Jo. 3. 36. QUI credit in filium habet vitam æternam; qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Luc. 13. 3, 5. Nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis.

Ezek. 33. 11. Sic ego vivam, inquit Dominus Jehova, ut non delector morte impii, sed ut impius recedat à via sua, & vivat. Recedite, recedite à malis viis vestris, cur enim moreremini?

Ezek. 18. 30. Resipiscite, & avertite vos ab omnibus peccatis vestris, ita iniquitas non erit exitio vobis.

V. 31. Abjicite à vobis omnes transgressiones vestras, quibus transgressi estis; & facite vobis cor novum & spiritum novum, nam quare moreremini?

V. 32. Non enim delector morte morientis, dicit Dominus Jehova; convertite igitur vos, & vivite.

Jo. 3. 3. --- Nisi quis denuò natus fuerit, non potest videre regnum Dei.

Matt.

Matth. 18. 3. Niſi convertamini, & fiatis ut pueruli, non intrabit regnum cœlorum.

Luc. 6. 46. Quid verò vocatis me, Domine, Domine, & non facitis dico?

Heb. 12. 14. Sectamini pacem cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine nemo videbit Dominum.

1 *Cor.* 6. 9. An ignoratis injuſtos non eſſe poſſeſſuros regnum Dei? errate, neque ſcortatores, nec idololatræ, nec adulteri, nec molles, nec dicones.

Ver. 10. Nec ſures, nec avari, nec ebrioſi, nec conviciatores, nec rapa poſſidebunt regnum Dei.

Heb. 10. 38. ——— Si quis ſe ſubtraxerit, non erit acceptus animo m

VI. *De modis obtinendi Gratiam a Deo, vireſque ad hæc cienda.*

Luc. 11. 19. PEtite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſat aperietur vobis:

Ver. 10. Quiſquis enim petit, accipit; & qui quærit, invenit; & ap tur pulſanti.

V. 13. Si vos, qui mali eſtis, ſciatis dare bona dona veſtris liberis; qu magis Pater veſter cœleſtis dabit Sanctum Spiritum petentibus à ſe?

1 *Pet.* 3. 21. Cui rei conſimilis figura, nempe Baptiſmus, nunc quo ſervat nos, non detractio ſordium corporis, ſed ſtipulatio bonæ conſc tiæ apud Deum, per reſurrectionem Jeſu Chriſti.

1 *Cor.* 11. 23. Dominus Jeſus eâ nocte quâ proditus eſt, accepit pan

V. 24. Et, gratiis actis, fregit ac dixit, Accipite, comedite, hoc eſt m corpus quod frangitur pro vobis, hoc facite ad memoriam mei.

V. 25. Itidem accepit poculum, poſtquam cœnaſſet, dicens, Hoc p lum eſt novum fœdus per meum ſanguinem, hoc facite, quoties biber ad memoriam mei.

V. 26. Quoties enim ederitis panem hunc, & biberitis poculum hoc, nunciatis mortem Domini donec veniat.

1 *Cor.* 10. 16. Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne eſt com nio ſanguinis Chriſti? Panis quem frangimus, nonne eſt communio co ris Chriſti?

Pſal. 119. 9. Quomodo puer purificabit ſemitam ſuam? obſervand am ſecundùm verbum tuum.

V. 11. Recondidi ſermonem tuum in animo meo, ut non peccem in t

V. 59. Recogitavi meos mores, & converti pedes meos ad tua teſtimo

V. 60. Feſtinavi, ac non cunctatus ſum, obſervare mandata tua.

Prov. 3. 5. Confide Jehovæ toto corde, neve innitere tuæ prudentiæ

V. 6. Agnoſce eum in omnibus viis tuis, & is diriget greſſus tuos.

VII. *De quatuor ultimis,* viz. *de Morte & Judicio, Cœlo Inferno.*

Heb. 9. 27. STatutum eſt omnibus hominibus ut ſemel moriantur, po verò judicium.

Joan. 5. 28. Hora venit, in qua omnes qui ſunt in monumentis ſuis dient ejus vocem,

Ver. 29. Et prodibunt; qui fecerint bona, in reſurrectionem vitæ; verò egerint mala, in reſurrectionem condemnationis.

2 *Cor.* 5. 10. Comparendum eſt nobis omnibus ante tribunal Chriſti, ut unuſquiſque accipiat ea quæ fecerit in corpore, congruenter ad ea quæ fecerit, ſive bonum, ſive malum.

Matth. 25. 34. Tunc dicet Rex iis qui erunt ad dextram ejus, Adeſte, benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto fundamento mundi.

Ver. 41. Tunc dicet etiam iis qui erunt ad ſiniſtram, Faceſſite à me exſecrati in æternum ignem paratum diabolo & angelis ejus.

Ver. 46. Et iſti abibunt in æternum ſupplicium, juſti verò in æternam vitam.

2 *Theſ.* 1. 7. Dominus Jeſus revelabitur de cœlo cum potentibus angelis ſuis,

Ver. 8. In flammante igne, ſumens ultionem de iis qui neſciunt Deum, neque obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti:

Ver. 9. Qui dabunt pœnas æterno exitio, à facie Domini & à gloria potentiæ ejus; cum venerit ut glorificetur in ſanctis ſuis, & ut ſit admirandus omnibus credentibus.

Two Prayers to be taught unto Children at School, with a Form of bleſſing God before and after Meat.

Morning Prayer.

O GOD, I praiſe thee for the Creation of the World, and for the Redemption of Mankind by the Lord Jeſus, and for thy many Favours beſtowed on me: Thou didſt ſafely take me from the Womb, and haſt ever ſince cared for me; Thou haſt by thy Mercy cauſed me to be born within thy Church, where I was early given to thee in Baptiſm: Thou haſt afforded me the Means of Grace, and called me to the Hope of Glory.

But O moſt merciful Father, I a poor and miſerable Sinner, conceived in Sin and brought forth in Iniquity, have gone aſtray from thee; I have not cared to know thee, and to do thy Will, but have done my own Will, and followed my fooliſh and ſinful Inclinations, and do therefore deſerve thy Wrath and Curſe. O Lord have Mercy upon me, turn me unto thee, and grant me Repentance and Forgiveneſs of all my Sins for Jeſus Sake. Let it from henceforth become my chiefeſt Care to pleaſe thee, and to ſeek thy Kingdom and Righteouſneſs. Work in me a true Faith, a lively Hope and a fervent Charity; make me humble, meek, patient, ſober and juſt, and loving to all Men, ſubmiſſive and obedient to them that are over me, and well content and thankful in every Condition of Life; grant that I may daily grow in knowing, loving, fearing and obeying thee; create in me a clean Heart, O God, and renew a right Spirit within me.

I thank thee, O Lord, for the Care of me this Night; watch over me this Day; keep me mindful that I am always in thy Sight, that I may be in thy Fear all the Day long; And grant that through the whole Courſe of my Life I may be holy and harmleſs in all Manner of Converſation, that when this ſhort and frail Life is at an End, I may be made Partaker of everlaſting Life, through the Merits of Jeſus Chriſt our Lord, in whoſe Name and Words I pray, *Our Father, which art in Heaven*, &c.

Even-

Evening Prayer.

MOST gracious God, what ſhall I render unto thee for thy many and great Benefits beſtowed upon me; tho' I have been an undutiful and diſobedient Servant unto thee! Thou haſt continued thy Care and Kindneſs for me ever ſince I was born, and haſt preſerved me this Day; let me never forget thy Goodneſs, but grant that thereby I may be led to Repentance and Amendment of Life. Preſerve me from every thing that is diſpleaſing to thee. O Lord keep me from curſing, ſwearing and lying, from Pride, Stubbornneſs and Idleneſs. Work in me an utter Diſlike of all Uncleanneſs, of Gluttony and Drunkenneſs, of all Malice and Envy, of Strife and Contention, of Deceit and Covetouſneſs. Give me Grace to deny all Ungodlineſs and worldly Luſts, and to live godly, righteouſly and ſoberly in this preſent World. Cauſe me to underſtand and conſider the Laws and Life of Jeſus, that I may do his Will and follow his Steps. Let never the Cares of this Life, nor the Love of Riches, nor evil Company, nor the corrupt Cuſtom of the World withdraw me from the Obedience of thy Laws; but ſtrengthen and eſtabliſh me by thy Holy Spirit, that I may live and die thy faithful Servant.

O Lord ſend thy Goſpel through the World; pour out plenteouſly the Spirit of Truth, Holineſs and Peace on all People: Bleſs this Church and Kingdom: Preſerve the King and all the Royal Family: Guide our Judges and Magiſtrates: Sanctify and aſſiſt the Miniſters of the Goſpel: Viſit all that are in Trouble, and ſanctify their Afflictions to them: Be gracious unto all my Kindred, Friends and Neighbours; and bleſs and forgive all mine Enemies.

Lord watch over me this Night, and keep me ever mindful that I am ſhortly to die, and come to Judgment, that I may without Delay turn to thee, and paſs the Time of my Sojourning here in thy Fear. Good Lord hear me, and grant theſe my Deſires, and what elſe thou knoweſt to be needful for me, for the Sake of Jeſus, in whoſe Name and Words I pray, *Our Father*, &c.

Grace before Meat.

O Lord be merciful unto us, and pardon our Sins; ſanctify theſe thy good Benefits, that we by the ſober and thankful Uſe of them, may be enabled for thy Service through Jeſus Chriſt our Lord and Saviour. *Amen.*

Grace after Meat.

WE thank and praiſe thee, O Lord, the Giver of all Good, who haſt at this Time fed our Bodies, ſtir up in us a greater Care for our Souls, and grant that our ſhort Lives, which are ſo carefully ſuſtained by thy Bounty, may be ſpent in doing thy Will. Lead us ſafely through this vain and ſinful World, in which we are Pilgrims and Strangers, and at length bring us to everlaſting Reſt, through Jeſus Chriſt. *Amen.*

FINIS.